Sachs Lud. G.,
Regiomonti 1824

Vajuolo

155

[illegible]ria della Medic. (Patol. spec.)
Op. Pl.

LUDOVIC. GUILIELM. SACHS

MEDIC. ET CHIRURG. DOCT. IN UNIVERSITATE ALBERTINA
PROFESSORIS MEDIC. EXTRAORD. ORD. STI. WLADIM.
EQUITIS

DE
ORIGINIBUS VARIOLARUM
LIBER.



REGIOMONTI 1824

APUD FRATRES BORNTRAEGER.


WELLCOME
LIBRARY
INSTITUTE

VIRO CLARISSIMO

D. *CAROLO FRIEDERICO BURDACHIO*

IMP. ROSS. A CONS. AUL. REG. BORUSS. CONS. AUL. AC MED.
COMPLURIUM SOCIETATUM SODALI ETC. ETC.

AMICO PROBO ATQUE SINCERO

OPUSCULUM HOC

D. D. D.

AUCTOR.

I.

Monitus ut tandem aliquando satisfacerem antiquo Academiae nostrae mori, professores jubenti pro munere specimen quoddam inaugurale conscribere ac defendere, hunc, quem tibi nunc, L. B. trado libellum, de Variolis tractantem, elaboravi. Neque ignoro satis multos consilium meum in hac potissimum re eligenda esse miraturos; haud paucis enim totum argumentum, vel in extorto opusculo, nimis leve videri potest. Nos, inquit, quibus res non verba sunt curae cordique, omnem de morbo varioloso disquisitionem habemus futilem atque vanam; quippe cum is ipse morbus praeclara variolarum vaccinarum inventione plane sit exstirpatus atque exstinctus. Laudabant hi etiam Cl. Batemanum, qui in egregio suo de morbis cutaneis opere, his inprimis

rationibus ductus [1]), de variolis tractare omnino supersedit.

Aliis contra, iisque candidis Viris, id fortasse vituperandum videbitur, quod rem tam difficilem, tam gravem tantique ambitus paucis his pagellis — ne dicam absolvere, sed tangere ausus sim; hi enim pressae orationi diffidere solent, cum credant nil certi sanique posse statui, nisi plane soluta sit et fere diffusa locutio, quam solam habent et solidam et perspicuam.

Tertium denique vituperatorum genus est audiendum; ab hac nimirum parte etsi non metuenda, exspectanda tamen est accusatio: vetustum illud diuque jam depositum, quamquam nec dijudicatum neque rite absolutum certamen [2]) de eo, utrum variolae fuerint cognitae medicis Graecis Latinisque nec ne? me voluisse revocare. Cui

---

1) *Praktische Darstellung der Hautkrankheiten nach Willans System von Thomas Bateman. Aus dem Engl. von Abr. Haneman mit Anmerkungen von K. Sprengel, pag.* 286—87.

2) „Vidit forte graeca romanaque antiquitas spuriarum (variolarum) aliquas; vidit morbos exanthematicos affines, benigniores malingioresque: vidit, si id quoque addere lubet, quos nos non videmus: *de veris variolis num illa, quae nos hodie, abseruarit, sub judice lis esse, et aeternum futura videtur*" *Werlhofius* de Variol. et anthracibus in opp. Med. Part. II. p. 483.

bono? quis enim putet, talem investigationem, quamquam laboriosissimam, utilitatis quidquam afferre? quod lumen medicis accenditur? quae spes aegrotis? totam igitur quaestionem ad nugas pertinere nos jure censemus. Maluissemus te aut edocuisse, aut pronunciasse, aut saltem contendisse aliquid de Medicaminibus, e. g. utrum sit in variolosorum cura convenientius adhibere *sulphur stibiatum aurantiacum an rubrum*, tum tu nos sedulos habuisses auditores, acuminatisque auribus.

Diversissimis his partibus sigillatim nunc paucis respondebo. Qui de argumenti levitate queruntur, dum variolas plane deletas habent —: utinam recte judicassent! Mihi quidem parvulis istis non dissimiles videntur, qui clausis oculis ea omnino non adesse credant, quibus, cum sint aperti, terreantur. Quae paucis ante annis ab ingenuis et optimis Britanniae medicis de variolarum grassatione sat late circumvaganti nobis sunt relata summa attentione mihi digna visa sunt[3]).

---

3) Sufficiet hic nominare Cl. *John Thompson: account on the variolous epidemie, which has lately prevailed in Edinburgh and other parts of Scotland, with observations on the identity of Chicken-Pox with modified Small-Pox. Lond.* 1820. *et ejusd. historical Sketch of the Opinions entertained by medical men respecting the Varieties and the secondary occurrence of Small-Pox, with observations on the Nature and Extent of the security afforded by Vaccination against*

praeterea neminem totam hanc rem recte perpendentem fugere potest: variolas nunquam infestissimo modo subreptare desiisse. Quid? quod nunc, dum haec scribo, in urbe nostra inque pagis vicinis verarum variolarum epidemiae vestigia indubia observari possunt, atque intra quinquennium bis jam accidit. Ingenue etiam fateor me cum aliis non contemnendis medicis vereri, ne furia pestiferi hujus morbi, debilitata quidem sed non victa, recuperatis viribus, rursus in hominum vitam irruat. Quibus omnibus eo adductus sum, ut opiner: nullo tempore magis oportuisse medicorum mentem ad accuratiorem hujus rei investigationem excitare, quam ipso hoc nostro tempore. Absit tamen illud, ut ita intelligerer, vel potius non intelligerer, ac si haesitarem magnum illud variolarum vaccinarum inventione atque usu

---

attaks of that Disease, in a Letter to Sir James M' Grigor etc. London and Edinburgh 1822. Vide etiam quae de egregio hoc opere disputata sunt in *Edinburgh medical and surgical Journal Octbr* 1822 Porro: *John Cross: a history of the Variolous epidemie, which occured in Norwich in the year* 1819 *and destroyed* 530 *Individuals etc. Lond.* 1820. In nostra etiam patria acute subtileque de hac gravissima re disputatum est, et imprimis a Cl. *Mühry* in *Hufeland Iourn.* V. 28 St. 3. p. 1. sqq. ab Ill. *Stieglitz* in *Horn* Archiv Vol. 8. pag. 178. sqq. contra Exper. *Heim* in Horn Archiv. Vol, 7. pag. 183. sqq.

debilitati generis humani concessum beneficium probare. In hoc sane nemini cedam; eum autem rem neque recte neque satis aestimare credo, qui plus eam aestimet, quam ratio aut postulet aut ferat; quamobrem non dubito ingenue libereque profiteri: Variolas vaccinas magnum quidem mihi videri beneficium, certum autem praesidium praebere non credo. Quibus omnibus spero, opusculum meum, quantulum sit, non totum fore inutile.

Ii viro, qui conatum meum de tanta re in arctis his cancellis agendi reprehendunt, secum reputent velim, de quanam alia re medici argumenti scribere potuerim, sine ejusdem reprehensionis metu? et si forte talibus parergis futilia illa et inania assignant, de quibus alioquin verbum proferre longum sit, e. g. *de febribus in genere* etc. —: nolo ego his accedere.

Omnino autem errarent, qui me delectari crederent controversiis, inanibusque verborum pugnis. Neque ego is sum, cui etiam in medicina nil verum sit, nisi etiam antiquitatis speciem prae se ferat, quique hanc etiam ob causam veterum monimentis ita abutar, ut, quasi sint cerea, quidquid placuerit, violenter exinde extorqueam; id quod mihi venerationis simulatio, veritatis dissimulatio videtur. Quamobrem lubentissime concedam antiquitates variolarum nil omnino ad rem referre, si modo de eo agatur, utrum in univer-

sum morbus variolosus *sit*, nec ne? quam multa sunt in historia naturali, quae hodie nobis sunt certissima, etsi non levissima eorum fuerit notio veteribus! Nemo etiam est nescius rerum naturalium cognitionem inde ab eo tempore laete et fauste profecisse, cum eruditi eam sibi parare non ex veterum librorum lectione, ut olim erat mos atque consuetudo, sed ex assidua maxime et strenua naturae contemplatione coepissent; incipiendum est a re, deinceps progrediendnm ad verbum, nec contra. Quid enim putas dicturum esse naturae fidelem et sapientem scrutatorem, si ei narretur: ortum esse alicubi, et subito quidem, novum plane naturae — non phaenomenon, sed corpus, sive sit planta, sive animal, nullis naturae in rebus gignendis et formandis legibus adstrictum, neque cum ullo neque re neque forma cohaerens? quod accuratius ita dici potest: *natum* esse aliquid *in* natura et *per* naturam, quod tamen est *extra* naturam? ridebit sane; fabellam, inquit, narras, neque auditu jucundam; vidisti fortasse quod hucusque nec tibi, nec, quod idem facile dabo, cuiquam alii videre licuit; quid miraris? cum tot res sint, quas nesciamus, nonne quotidie hoc evenire potest? ubi vero angustos cognitionum tuarum fines aggressus es, ipsam naturam titubare atque vacillare credis, eamque, ab omni lege dissolutam, tamquam in vesania, ant fingere, ant devastare; quid absurdius excogitari potest?

Noli tamen io alteram, non meliorem, parten aberrare. ut putes, naturam vi sua immensa infinitaque posse non modo omnia, sed etiam ea quae fieri non possunt, v. c. quadratum ex circulo efficere; scias potius vim illam naturae *in lege* esse positam, qua deficiente non modo impotens esset, sed ne esset quidem. Caveamus vero ne legem, vel leges quasdam, ingenii nostri lusu quodam petulanti fictas, naturae supponamus et quasi obtrudamus; magistram potius habeamus naturam; tum etiam perspectissimum nobis foret, omnia in natura quam intime cohaerere, nullum in ea dari hiatum, eamque in operibus suis procreandis et servandis non saltuatim incedere. De maxime autem sublimi scientae naturalis parte, de medicina, quid dicamus? Nonne in eo potissimum omne studium eorum, qui ei operam dant, versari debeat, ut intelligatur perspiciaturque nexus ille internus naturalis non modo rerum, sed earum etiam phaenomenorum? interrogas num variolae Graecis Romanisque medicis cognitae fuerint; nescio, neque curo: homines fuerunt illi medici, errare potuerunt, et profecto hac imbecillitatis venia sat superque usi sunt; arbitrati sunt in universum: arterias non sanguinem, sed spiritus continere; arteriae ipsae tamen olim ut nunc sanguinem continebant, neque recentioribus temporibus arte Harveiiana id factum est. Quaeratur igitur, utrum ipse *morbus variolosus* fuerit nec

ne? sed cum sit, quomodo umquam non fuisse cogitari potest? unde enim originem petierit? casune fortuito? an de coelo delapsus est? an venti attulerunt? an hominum arte elaboratus?

Hic tu dixeris: Si fuissent, quales sunt, quomodo fieri potuit, ut oculos medicorum vetustorum, in deprehendendo rerum visis exercitatissimos acutissimosque, fugere potuerint? et si viderint, ut non perspicue depinxerint: illi imprimis, qui morborum graphica descriptione inclaruerunt: Hippocrates, Aretaeus, Caelius[4]) a? audio proboque. Sed non haec mea est sententia, ut affirmem: variolas jam tum tales fuisse, quales postea, temporum rerumque omnium in illis mutatione, fuissent, vel quales nunc, nova iterum transformatione, factae sunt: *eas plane defuisse*, id solummodo nego et pernego. Nemo sane nescit omnes res mutari; cum enim nascantur et fiant eo jam perpetuae mutationis legem in se habeant necesse est: quamobrem etiam nulla res in nullo momento prorsus est eadem. Si vero attentius inquirere velis, invenies non mutari natura sua,

---

4) Exigua quidem multis *Caelii* auctoritas esse solet, propter orationem parum politam, saepe obscuram, interdum etiam mancam; qui tamen magis rebus quam verbis delectantur, ii certe eum carum habebunt equidem ingenue fateor, me eum optimis veterum medicorum aequiparare, multis anteponere, postponere nemini.

sed sola specie. Res naturales mutantur, ipsa autem natura quieta et immutata manet: idem etiam in singulis rebus fit, natura iis insita constans est, forma vero variant varianturque. Hanc ipsam vero formarum mutationem non harum vi quadam fieri, cum nulla profecto iis insit, sed ex intima ipsa rerum natura proficisci —: quis negabit? Videas igitur nullam plane posse dari rerum earumque formarum cognitionem veram ac, ut natura ipsa, stabilem, nisi ipsa sit perspecta natura. his autem concessis causa etiam patebit, cur scientia et ars nostra, quam divinam dicimus, medicina, non modo permultis et gravissimis erroribus obnoxia fuerit, sed ne vitare quidem eos potuerit, quippe quia vera rerum cognoscendarum via ac ratio relicta fuerit; sed ut uno dicam verbo: solo systematis naturalis ope rectam cognoscendi viam inire possumus; hoc neglecto contingit interdum verum invenire, saepius autem accidit ut in errorem illabamur, utrumque ut vult casus, et, quod turpius est, ipsum veri inventum certa probatione caret, error vero omni medela.

Haec vero omnia cur dixerim nunc indicabo. Quilibet enim exspectabit me argnmentum, quod hic tractare mihi animus est, secundum naturalem, quam profiteor methodum esse elaboraturum; aequam autem hanc exspectationem fallere nolo, satisfacere ei nequeo. Cum primus enim

ego [5]) naturale systema medicum exstruendo manus admoverim, nec hucusque in gravissimum hoc opus perficiendo socium invenire mihi contigerit, ubique ut ad me ipsum revertar necesse est. Ordo vero naturalis in eo potissimum versatur, ut naturae ipsius sincera sit imago; sicuti enim illa in rebus suis agendis sancte servat legem, ita ut nullibi argui possit nec procacis arbitrii, nec petulantiae, nec temerarii inconsideratique lusus, sic etiam ordine naturali, si vere talis esse velit, non modo rerum ipsarum veras notiones, sed has etiam in *serie non interrupta* perspicere debemus; quo autem in negotio nullius est momenti quid ingeniose aut erudite splendideque dici possit, in uno eo potius est inhaerendum, quid verum, quid naturae consentaneum sit.

Videsne igitur, L. B. quam arcte circulo sim inclusus, ut vix loco me movere posssim, nisi vi quadam ipsum hunc circulum perrumpens. In naturalem nimirum variolarum indolem, in elementa earum, quorum conventu fiant, et quo mutato etiam illae mutentur, inquirere mihi propositum

---

5) Ut omnis arrogantiae species, quae fortasse iis quae supra dixi inesse videri possit, longe repellatur, conferantur velim ea, quae in Praefatione operis mei; *Grundlinien zu einem natürlichen, dynamischen System der praktischen Medicin, I Theil, Berlin* 1821, de hoc meo proposito atque incepto labore disputavi.

est; haec autem inquisitio rite justoque modo peragi nequit, nisi antea systema naturale eousque saltem sit exstructum, ut cum illo proposita nostra quaestio proxime possit conjungi. multum vero abest, ut ita sit; quid me nunc juvat, quod omnia fere exarata et parata sunt apud me, cum litteris non sint expressa? Quoniam vero semel factum est, ut ex nido expellar, nil restat, nisi cum hypotheseos alis evolem, teque, L. B. in hoc itinere comitem habeam non repugnantem; quam veniam te mihi esse daturum nequaquam dubito, eoque minus, cum satis sciam, eam te in systematibus artificialibus etiam non postulanti concedere in consueto usu habere. Praeterea ea, quam expostulo hypothesis hoc deriso et contemto nomine hic solummodo usurpari potest, quippe cum ipsa res indubia sit, et hic tantummodo, nexu naturali soluto, non satis stabilita. Ponamus igitur: systema naturale dynamicum medicinae non modo usque ad eum locum, ubi de variolis in eo est agendum, esse exstructum, sed etiam firmatum. His praemissis et concessis jam rem ipsam adgredimur.

II.

De Variolarum natura earumque origine naturali.

Antequam de peculiari variolarum natura et indole atque earum naturali origine inquiram, locum oportet indicem, quem in *systemate naturali* teneant; id vero hic a me plena absolutaque argumentatione fieri nec debere, nec posse, nunc modo pactus sum. Nil itaque impedit quin concessa utar venia historico enarrandi modo.

Omnes consentiunt universam morborem cohortem in duas partes dividi posse et debere; in *primarios* nimirum et *secundarios*, *primarii* recte ii dicuntur, qui in *sanum* irruunt, sive vi influxus externi superante, sive neglecta vi processui vitali insita quidem, sed libertati relicta influxus externos mitigandi sibique servientes et amicos reddendi. *Secundariorum* nomine contra ii jure appellari possunt, qui originem ducunt non modo ex praegresso, sed etiam, in effectibus suis, adhuc perdurante morbo. Omnes vero morbos primarios in *tres Classes* divisimus, quarum prima *inflammationes* continet, altera *febres*, tertia deni-

que *nervorum morbos*[6]) Inflammationum classis in *tres ordines* syssematibus organicis respondentibus dispertitur, in *inflammationes* nimirum *systematis nervosi*, in *inflammationes systematis irritabilis* et in *inflammationes systematis vegetativi*. Quilibet autem ordo iterum in *tria genera* distribui debet, secundum triplicem diversitatem, quam unumquodque systema organicum offert. tota igitur divisio primae morborum classis facile hoc schemate perspici posest:

Classis prima. Inflammationes.

Ordo Primus. Inflammationes systematis nervosi.

Genus I^mum^ inflammatio Cerebri et systematis cerebralis.

Genus II^dum^ inflammatio medullae spinalis ejusque nervorum,

Genus III^tium^ inflammatio systematis gangliorum.

Ordo secundus. Inflammationes systematis irritabilis

Genus I^mum^ inflammatio systematis arteriosi.

Genus II^dum^ inflammatio systematis venosi.

Genus III^tium^ inflammatio systematis vasorum capillarium.

Ordo tertius. Inflammaciones systematis vegetativi.

Genus I^mum^ inflammatio vegetativa in partibus sensibilibus.

Genus II^dum^ inflammatio vegetativa in partibus irritabilibus,

Genus III^tium^ inflammatio vegetativa in partibus vegetativis.

---

6) *Grundlinien zu einem natürlichen System*, pag. 8 — 72.

Variolae magnam et pergravem speciem tertii generis in tertio ordine primae classis morborum secundum systema naturale formant. Nihil vero inutilius magisque supervacaneum esset, quam si in investigatione nostra hic proposita a plena et fusa variolarum descriptione proficisci voluissem; quippe cum ea, jam millies repetita, in vulgatissimis libris facile inveniri possit. Sufficiet itaque unum id in memoriam revocare: totum propriumque exanthematis variolosi decursum quatuor epochis sive, ut dicitur, stadiis perpicue denotari; primo enim *papulae* nascuutur, hae dein *pustulae* fiunt, pustulae porro *vesiculae* evadunt, quae denique in *crustas* sive *squamas* mutantur. Neminem autem rei peritum fugere potest, notas has quatuor, modo ad naturam indicatas, characteres specificos continere quatuor ordinum morborum cutaneorum secundum systemata Cl. Cl. *Willianii* et *Batemani*, communi fere applausu accepta; Ordinis nimirum *papularum*, *pustularum*, *vesicularum* et *squamarum*. ex ipsa igitur *variolarum formae* contemplatione intelligi jam potest eas, quod ad origiuem pertinet, non simplicem esse morbum, sed plurium potius conjunctionem sive synthesin; hanc etiam ob causam qui variolarum orginem in iis ipsis quaerunt oleam certe et operam perdunt, cum ex elementis potius petenda atque invenienda sit. Componendae igitur sunt variolae et comparandae cum illis elementaribus,

ut ita dicam, morbis, cum illis scilicet, quorum conventu atque conjuuctione nascantur, Non est autem hujus loci ad prima usque initia adscendere; satis hic erit, si ostendam, *quibuscum* proxime cohaereant. Hi autem, quod ad formam exanthematicam attinet, Elephantiasis et Lepra, ambo illi antiquitatis gravissimi, nec nunc ubique exstincti morbi, mihi esse videntur. Consulto vero omnia ea omittam, quae celebratissimi Scriptores in favorem hujus sententiae saepe opinati sunt, quippe cum non hominum judicio veritas firmari possit, sed contra judicia veritate. Doceamiui ipsa rerum natura, liceatque hanc ob rem ut paucis et distinctis lineis duos hos morbos cum proximis eorum prosapiis notem; quo facto et variolarum natura atque indolis earumque cum aliis morbis, primo quidem intuitu longe abstantibns, necessitudo atque agnatio clarior reddi potest.

A. Elephantiasis[7].

Morbi principium difficile cognoscitur, cum ejus accesio nullis, nec certis, nec eminentibus, nec distinctis signis denotetur incipiente enim morbo

---

7) *Aretaeus.* Lib. II. Cap. 13.
Aëtii Terabibl. IIII. Sermo. I. Cap. CXX..
Paulus Aegineta Lib. IV Cap. I.
Cf. etiam *Sieber*; Reise nach der Insel Kreta etc. T. II. p. 155. sqq.

homines tardi sunt, ut ab aliqua levi et vulgari causa; somniculosi, quieti sicca alvo; haec etiam sanis haud adeo inusitata sunt; diu hic morbus in visceribus vegetativis abdominalibus morari videtur, antequam in conspectum progrediatur. primi vero ejus progressus respiratione male olente adnunciantur; lotium crassum est, album, turbidum, jumentosum; aegrotis veneris appetentia est inexplebilis; digestio facile fit, tamquam, ut ait *Aretaeus*, in suum ipsius alimentum raptim morbo attrahente, sed cruda est et imperfecta et scybala non cocta formam tamen concoctorum obtinent, idque ardore, quo interna, imprimis autem in ventre inferiori, uruntur. Eruptio huius pestis plerumque in facie incipit [8]), interdum vero ab extrema cubiti curvatura, a genu, a manuum pedumque articulis; tumores enim alii juxta alios exsurgunt, nondum quidem continui, sed crassi et asperi, et interstitium tumorum discissum est ut

8) *Lorry* (Tractatus de morbis cutaneis, Parisiis 1777. pag. 376, 378.) contendit *Archigenem* et *Paulum* Elephantiasin „pro vultus atque faciei" morbo descripsisse. Nescio vero unde mirum hoc teneat, ex ipsis his Auctoribus certissime non habet; legi enim et perlegi *Aëtium* (Tetrabibl. Frobeen 1549. Tetrabibl. 4. Sermo 1 Cap. 120. sqq) et *Paulum* (Argentorati 1542. Lib. IV. Cap. I. p. 201. sqq.) et nullum prorsus hujus sententiae vestigium inveni.

ut elephantis corium. Pili in omni corpore praemoriuntur, in manibus, femoribus, tibiis, item in pube, in mento rari sunt, rara quoque in capite caesaries; mox autem pubes et mentum glabrescunt. Cutis color non in omnibus idem ist; in nonnullis rubescens, in aliis albescens, interdum etiam nigrescens[9]. Capiti cutis altius rescissa est, rimae autem profundae, frequentes, asperae sunt. tumores in facie duri, acuti, nonnunquam fastigio albido, basi viridiore. Pulsus pusilli, graves, tardi, tamquam per coenum vix se moventes; maesti atque summa tristitia afflicti sunt miserrimi hi aegroti. Inde jam ab initio morbi de nare loquuntur, vox rauca fit, difficulter spirant, somnus eos fugit, et si interdum dormiunt insomniis metuque suffocationis terrentur. Venae temporum et quae sub lingua jacent inflantur atque distenduntur, totum corpus aequali fere tumore intumescit, lingua grandinosis varis exasperatur, rubent malae cum tumore haud ita magno, oculi caliginosi, aenei coloris sunt, supercilia prominentia, crassa, glabra, deorsum versus pondere vergentia; nares, magnis minoribusve tumoribus obsessae, inaequali modo dilatatae sunt; labia crasse prominent et livescunt, aures rubent admixta nigritia, in basi vero ulcera sunt, sanies

9) Non licet autem ex hac coloris diversitate morbi varietates deducere.

defluit, pruriunt. Augescente malo insultus suffocatorii frequentiores fortioresque fiunt; ulcera foetida sunt, insanabilia; alia enim super alia exsurgunt, super alia alia nitescunt, siquidem membra hominum diu morte praeveniunt, quoad de corpore excidant nasus, digiti, pedes, genitalia atqne totae manus. Neque enim haec labes primo perimit ab infelicissima vita, saevisque cruciatibus liberans, quam membratim dilaceratus sit homo. Est autem diuturna[10])!

Cum hac autem elephantiasi nequaquam confundendus est morbus a medicis arabicis eodem nomine descriptus; elephantiasis enim Arabum non gradu solum, sed tota re differt ab elephantiasi Graecorum; ei similior, quamquam diversa, est lepra Arabum. *Avicenna* nimirum elephantiasin appellat morbum pedum varicosum, in quo omnes pedis venae praeter modum intumescunt, elephantini pedis adinstar, ita ut nulla supersit distinctio inter suras et reliquas crurum partes[11]); qui morbus et apud Scriptores recentioris temporis elephantiasis voce denominatur[12]).

---

10) In hac descriptione maxime *Aretaeo* (Libri septem Argentorati 1768. Lib. II. Cap. 13. p. 148. sqq.) usus sum.

11) Liber Canonis etc. Venetiis 1544. Lib. IV. Fen. 3 Tract. 3. p. 473. sqq.

12) *Hufeland über Skrofelkrankheit 2te Aufl. Jena* 1797. *p.* 384. *sqq. et Hillary über die Krank-*

In vera autem elephantiasi, quam nunc modo secundum Aretaeum descripsimus, quatuor Species, sive varietates, notatu quidem dignissimae, sunt distinguendae:

a) *Elephantiasis stricte sic dicta s. Aretaei.* Haec pessima est. Signa vero ejus pathognostica haec sunt: palpebrae rugosae; ptosis; nares tnmoribus obstipatae; color cutis lividus vel coeruleus; tumores initio in facie adparentes, duri, dein ulcerosi, morbo progrediente totum corpus conserunt; animi lassitudo cum summa inquietudine et anxietate; vox rauca; respiratio perdifficilis; insultus suffocatorii; urina parva, vix tincta, turbidaque; sanguis niger et spissus[13])

b) *E. alopecia*, ita dicta ob similitudinem cum alopecibus gravissimo calore pilos dejicientibus. Symptomata pathognomonica: in facie, purpurei fusci coloris, tumida, jam ab initio fere morbi tumores oriuntur, qui mox pessima fiunt ulcera, palpebrae glabrosae, oculi inflammati, ectropia, perspiratio cutanea valde aucta foetidaque, epistaxis frequens, tumores faciei saepe ichorem sanguine mixtum edunt[14]).

---

heiten auf Barbados, übers. von Ackermann 1776. p. 366.

13) *Aretaeus.* l. c.

14) *Paulus Aegineta* (Lib. III. Cap. I. p. 81.) *Aëtius* (Tetrabil. II. Serm. II. Cap. 55. p. 301.) *Gordon*

c) *Elephantiasis leonina.* Hoc nomen partim ex similitudine extremarum frontis rugarum cum leone deductum est, quibus vultus aegroti horribilis redditur, partim ex proclivitate ad ferocem iracundiam. Signa diagnostica: oculi rotundi, prominentes, fulgentes, volventes; venae valde dilatatae sunt, nares hiantes, raucedo vocisque mutatio in hac posissimum elephantiasis specie insignes sunt; cutis sublutea; aeger valde cruciatur punctione, pruritu ardoreque in malis et palpebris, urina tenuis et subflava, cutis multis in locis disrumpitur, ibique herpes enascitur exedens[15].

d) *Elephantiasis tyria,* ita appellata propter aegrotorum hoc morbo afflictorum cutis cum serpente tyro (?) similitudinem. Signa peculiaria: cutis foede incanescit, dein nigrescit, facies tumida, multis mollibus tumoribus tecta, nares obstipatae, urina alba ac turbida, vox rauca[16].

B. Lepra.

Haud mediocris est confusio, quam apud diversissimos scriptores de lepra et de morbis le-

---

(opus lilium medicinae inscriptum. Lugud. 1550. Particula II. Caput. I. p. 140. sqq.) *Valescus de Tharanta* (*Philonium.* ed. Veneta per *Lucam Antonium de Giunta* 1523. Lib. VII. Capitul. 51. p. 213.)

15) Vide Commentaria in *Paulum Aeginetam* (l. c. pag. 30. 1.)

16) *Sauvages*, Nosologia methodica. Amstel. 1763. Tomi 3tii pars 2da p. 452.

prosis invenimus; fieri enim solet ut nomina miscendo a medicis Graecis et Arabicis usitata, ipsae res inconsulto, mirum tamen in modum, confundantur. Ita factum est, ut elephantiasis a multis pro appendicula quadam leprae haberetur, partim propter similitudinem, quam Graecornm elephantiasis cum lepra Arabum habet, maxime vero ob nominum temerariam confusionem. tanta est verborum vis. juvabit itaque lepram in propriis suis speciebus caute distinguere. sunt vero harum gravissimae sex:

a) *Lepra Graecorum:* pustulae oriuntur asperae, durae, purpureo-fusci coloris, cutim penetrant, superficies squamis teguntur; hae dejiciuntnr, novae vero formantur; denique, non semper tamem, ulcera penetrantia, phagadaenica oriuntur, quibus aegrotus miserrime cruciatur. Haec leprae species et *rubra* audit[17]).

b) *Lepra ichthyosis.* Haec species a priori eo solum differt, quod squamae piscium sunt si-

17) *Hippocrates* (ed. Foesiana, Francofurti 1595. de affectionibus, Sect. V. p. 81.) *Celsus* de Medicina (ed. Almeloveen Lugud. 1746, Lib. V. Cap. 28. p. 341.) *Aëtius* (l. c. Tetrabil. IV. Serm. I. Cap. 132—34. p. 732. sqq.) *Paulus Aegineta* (Lib. IV. Cap. II. p. 204.) *Gordon.* (Particula I. p. 88. sqq.) Valescus de Tharanta. (Lib. VII. Capitul. 39. pag. 206. sqq.)

miles et aegroti piscium odorem exhalare dicuntur[18]).

c) *Lepra indica.* Cutis crustis squamosis tegitur, praecipue vero in facie et in articulis; si hae crustae scalpuntur ichor defluit albus et foetidus; aeger doloribus vagis, imprimis vero cephalalgia cruciatur; noctes inquietae propter ardores urentes, subito incedentes et recedentes, vultus subflavus; debilitas summa, frigoris impatientia. difficile sanatur et sanata mox redit[19]).

Huic speciei ut varietates adnumerandae sunt:

α) *Lepra syrica (Elephantiasis syriaca. Raymond)*[20]): totum corpus foeda scabie obsessum; articuli, pedum inprimis, tumidi et deformes, caro spongiosa enascitur, crura ut in equo labore confecto; aegroti cadaverosum odorem late spargunt[21]).

β) *Lepra Aleppensis;* in urbe, ex qna haec lepra suum habet cognomen, non raro impetigo obseruatur, quae in eo versatur ut

---

18) *Valescus* de Th. (Lib. VII. Capitul. 38. p. 205. de morphea et albaras) idem est cum Albara nigra Avicennae. Acta Lips. 1688. p. 617.

19) *Boerhavii* Consultationes med. 43.

20) *Raymond histoire de l'elephantiasis. Lausanne* 1767.)

21) *Id.* apud *Cullen: Anfangsgründe der prakt. Arzneiwissenschaft B. IV. S.* 493.

hic et illic, maxime autem in capite facieque, intumescant atque indurescant loca unius circiter pollicis ambitu; hi tumores ichorem exsudant, quo exsiccato crustae dejiciuntur, et ulcera saniem emittunt foetidam. — In oris maritimis, praecipue vero Africanis, haec lepra saepe invenitur, sed falso Elephantiasis audit[22]).

d) *Lepra asturiensis (Hispanis: mal de la Rosa)*: tremor fere perpetuus capitis et trunci superioris, sulci rubri in manibus pedibusque, herpes ruber circa collum, crustae squamosae, nigrae, inscissae in diversissimis corporis partibus, imprimis vero in parte externa extremitatum; adspectus horribilis, odor foetidissimus. Haec leprae species tempore maxime vernali occurrit. initio maculae rubrae et asperae efflorescunt, quae mox squamis vel crustis tenuibus teguntur, aestate vero dejiciuntur, relictis maculis rubicundis, glabris; in eventu feliciori hae maculae per vitae tempus remanent. praeterea aegrotorum collum crusta cingitur ex flavo nigrescens, duorum digitorum latitudine, pectus versus divisa et ad sternum serpens. Capitis et trunci superioris tremor saepe adeo est vehemens, ut aegroti vix se erectos sustinere queant; ardor vehementissimus in ore, dolores cruciantes cardialgici, lingua impura; labra efflorescunt; de-

---

22) *Niebuhr Beschreibung von Arabien.* p. 135.

bilitas atque gravedo summa; lectulos propter calorem urentem fugiunt, tristissimi sunt et saepe, sine causa sibi ipsis nota, ferocem emittunt clamorem [23]).

e) *Lepra herpetica s. humida.* Crustae squamosae, albae, hyeme majores, suppurantes, noctu valde prurientes, brachia usque ad carpum, femora tibiasque interdum ad pedes usque tegentes, scalptu cruentantur, poplites et cubiti vix flecti possunt; praecedunt non raro tineae malignae [24]).

f) *Lepra malum mortuum.* Haec lepra scabiei formam prae se fert; pustulae crustosae turpi adspectu, quae si siccae sint insensibiles, si vero humidae intolerabiliter pruriunt; in regione coxali et crurali sedem figere solent. Malum mortuum eam ob causam haec lepra dicitur, quia partes ab ea affectae nigrae et fere insensibiles sunt [25]).

---

23) *Thiery observations de physique et de Medecine etc.*, et in: *Journal de Medecine* 1755. *Mai.*

24) *Cullen.* (l. c. p. 494.)

25) *Gordon.* (l. c. particul. I. p. 115. sqq.)

In hac enumeratione *Lepram Hebraeorum* consulto omisi, quia nullam ejus habemus descriptionem medicam. quae de illa in Scriptura Sacra inveniuntur (Levitic. Cap. 13. 14.) ita mihi comparata esse videntur, ut eam cum nulla alia Leprae especie, neque forma, neque re, necessitudinem habere probent. *R. Mead* (Medica sacra s. de morbis insignioribus, qui in Bibliis memorantur Comment. Cap.

Omnes quos modo breviter delineavi morbos uno obtuitu perspicientem fugere nequit, eos quamquam forma varios, eandem tamen naturam indicare. Inflammationis enim vegetativae omnes prae se ferunt speciem. in ipso vero eo me non omnes in re medica judicantes habere consentientes bene scio; permulti enim malunt omnes hos morbos ad *cachexiam* vel *cacochymiam* quandam referre, quam ad ipsam inflammationem; quos ad refellendos sufficiet argumenta afferre, quibus hi ipsi non modo utuntur, sed quae etiam certissima firmissimaque habent. ad principalia nimirum et summa pathologiae principia iis pertinet: inflammationem quatuor posse dignosci symptomatis: *rubedine, dolore, tumore, duritie* partis affectae; his signis praesentibus inflammatio adest, deficientibus deest. Sed videatis, ipsa haec conjunctio symptomatum inflammationem, secundum vos, efficientium, in morbis, de quibus hic sermo est, adest —: inflammationem nihilominus deesse dicitis? adesse concedatis necesse est, si modo vobis ipsis constare vultis. Quod autem de cachectica vel cacochymica horum morborum natu-

---

II. in Opp. med. Götting. 1748.) et *Lorry*. (l. c. p. 371. sqq.) docte quidem et eleganter de hac re tractaverunt, gravissima tamen dubia non sustulerunt. equidem pergam in hanc rem inquirere et quae invenero alio loco afferam.

ra dicitis, id plane hic praetermittere possumus; cum ipsa cachexia et cacochymia status quidem sint organismi viventis, ex quibus permulti morbi enasci possunt, sed ipsae hae non sunt morbi; praeterea non negabitis phthisin e. g., cachecticis morbis vobis, non curo hic jure nec ne? adnumeratam, inflammationem esse, nec sine ea, non modo praecedente, sed etiam praesente, nullo modo posse cogitari; Cancer porro, summa, omnibus consentientibus, cacochymia, manifestissimam tamen praebet inflammationis imaginem.

Quae cum ita sint, proximum nobis erit negotium, ut inquiramus ad quemnam inflammationis ordinem, ad quod genus, ad quam denique speciem hi morbi pertineant. Quum vero jam ab eorum initio inde, et per totum decursum, vegetationis vitiis clare insigniantur, ne haesitare quidem possumus de ordine inveniendo atque assignando; manifeste enim *ordini inflammationum systematis vegetativi* adnumerandi sunt. Neque de genere ullum prorsus est dubium; cum enim his in morbis organa vegetatoni imprimis dicata affecta sint, causa nobis data est sufficiens, ut ipsos illos ad *tertium genus tertii ordinis inflammationum* pertinere judicemus. difficilius paulo est speciem accurate determinare. tum jam, cum principia systematis naturalis exponere conati sumus, monuimus, totum tertium

ordinem primae morborum classis puras genuinasque species non continere, causamque hujus rei indicavimus[26]), quae quam sit vera, ipso hoc exemplo plane firmabitur. Cum enim speciei notio characteristica ex *singulis* quibusque organis affectis eorumque functione vitali desumenda sit, facile quidem et expeditum videri possit, omnes hos morbos, de quibus nunc loquimur, *cutaneos* dicere; omni tamen jure tum solummodo id facere possemus, si dé morborum formis atque *visis* stabiliendis ageretur; quum vero nobis cordi sit res sua natura dignoscere, nec contra: naturam rebus, quippe quia altera haec via, etsi non neglecta, lubrica tamen et periculosa multisque erroribus apperta nobis esse videtur; nobis, inquam, non liceret hanc sequi methodum, nisi eo ipsa rerum vi simus adducti; id autem nuuc modo evenit, nobisque ipsis firme constantibus. perspectum enim est nobis omnibusque, totum illud organicum systema, quod vegetativum dicitur, ipsum non esse constituens, sed constitutum potius; vi enim et efficacia amborum systematum organicorum constituentium, utroque scilicet systemate, nervoso et irritabili, conjuncte et amice agente ipsa vegetatio fit nasciturque, qua facta demum systema vegetativum adest et, quoad visum, *per se adesse videtur.* Nihil etiam impedit quin nos, metho-

26) *Grundlinien etc. p.* 37.

dum sequentes, quam *inductionis* vocant, qua, cum de rebus factis agatur, a singulis ad majora et altiora adscenditur, ipsum hoc systema vegetativum agnoscamus, quippe quia re vera factum est. Mox vero ubi rerum ipsarum natura est indaganda, sola principia *unde fiunt* sunt respicienda, quibus perspectis et concessis patebit etiam cur ipsum *systema* vegetativum, ut tale, magis magisque oculis se subtrahit, quo proprius et accuratius *processum* vegetativum, sive sanum, sive morbosum, examinamus. — Nunc omnis et levissima etiam contradictionis species a nobis remota est, cum docuimus dari quidem ordinem et genera inflammationum vegetativarum, species vero earum neque puras esse, neque genuinas; cum sane in speciebus tandem vera rerum natura latet et ex iis invenienda atque haurienda est.

Quae cum ita sint, licebit morbos, de quibus hic tractamus, nomine generali *inflammationis vegetativae in organis vegetativi* scomplecti, quo saltem *genus* eorum distincte definitur. Ut vero et eorum species aliquo modo definiatur, ex symptomate eminentissimo specialem denominationem derivamus; praemissa tamen admonitione: neque hanc, ut reliquas hujus ordinis species, puram et genuinam esse Manifestissimum vero et eminentissimum horum morborum phaenomenon in organo cutaneo obseruatur. quamobrem

omnes hos morbos spciali nomine *inflammationis vegetativae cutaneae* complectimur[27]).

Qui vero de inflammationis vegetativae notione nobis consentit, is facile etiam perspiciet, omnes morbos ad hunc ordinem pertinentes intimo vinculo cohaerere. Cum enim totius harum affectionum seriei natura in eo versatur, ut systemata organica constituentia, quoad vegetationem efficiunt, enormitate quadam laborent, totus autem processus vegetativus, certe omnium actionum animalium simplicissima sit et ubique simillima ratione sese exserat, confiteamini oportet: et deflexiones hujus processus a norma, quoad indolem, arctissimas inter se habere et similitudines et necessitudines. id quod etiam observatione et experientia vere comprobatur. Si enim ingenue *formas* primo, etsi multifarias, morborum supra a nobis descriptorum consideramus, earum nexus non modo inter se, sed etiam cum Variolis nequaquam effugere potest. — Elephantiasis vera nobis ut primum naturae periculum variolam formandam videtur; illo in morbo quidem omnia giganteo modo et ex rudi tamquam indigestaque

---

27) Ab his vero morbis valde differunt aliae cutaneae inflamationes e. g. scarlatina, rubeolae, erysipelas, morbilli a, quae cutim ut organon vasculis sanguiferis fere repletum afficiunt.

mole enascuntur phaenomena; sed quis non videt, si modo attente videat, symptomata gradu solummodo differe, non vero modo ac ratione? passio universalis, respiratio foetida elephantiasis ut variolarum scenam aperiunt; in utroque morbo exanthematis eruptio a facie maxime proficiscitur. de *papulis* in Elephantiasis initio antiqui quidem observatores silent, tumorum autem, de quibus diserte loquuntur, formationem ab inflammatione quadam papulosa necessario proficisci, quis negabit? elephantiasis *tumores* ut variolarum *pustularum rudia protypa* sese ostendunt. quae sunt *ulcera* in illo morbo, in hoc *vesiculae* fiunt[28]). *Crustarum* denique similitudo apertissima est, posita nimirum gradus varietate. tota haec analogia ita ipsa natura comparata esse mihi est visa, ut huic ipsi defendenda et tuenda relinquatur. cui vero displicet, is adeat naturam, eamque habeat, si velit, magistram, vel, si malit, adversariam. Nos vero lubenter eam et studiose sequimur; qua duce haec analogia nobis magis magisque clara et evidens fit, cum elephantiasis varietates et lepram cum suis prosapiis consideramus. In *Elephantiasi leonina* v. c. manifesto *vesiculae* formantur; herpes nimirum in ea conspicuus nihil aliud est, nisi vesicularum congeries. in *Graecorum Lepra* haec formatio quam apertissima est;

---

28) Contrarium fit, ubi *ulcera variolosa* nascuntur.

nascuntur *pustulae*, quibus, ut supra jam monuimus, *papulae* praecedant necesse est; pustulae dein in *ulcera* mutantur aperta, quod fieri sane non potuisset, nisi antea in *vesicularem* transiissent formam; denique vero *squamis* teguntur. En iterum quatuor variolarum epochae! perfectior adhuc et clarior haec formarum, vel potius, *formationis* similitudo in leprae varietatibus perspici potest, quamobrem eam hic fusius exponere supersedere possumus.

Pauca vero haec, quae hucusque protulimus, ad *formam* solummodo pertinent morborum eorum, quos hic perscrutari in animo est, et quidem ad formarum *similitudinem*. — Caveamus autem ne simus duarum rerum in universa re medica gravissimarum obliti; primo, ut cum inquisitione de disssimilium similitudine intime conjungamus ea de dissimilitudine similium; dein ut rerum similium atque dissimilium natura attento animo investigemus; altero enim signorum, altero morborum doctrina recte comparatur. Methodus vero naturalis utramque jubet conjungi investigationem.

Quodsi de horum omnium morborum natura quaeramus, ad ea progrediendum est, quae cum remotissima esse videantur, reapse tamen prope adjacent. quoniam enim nobis perspectum est, omnes hujus ordinis species neque puras esse, neque per se satis accurate posse distingui, eas-

que potius omnes ita inter se cohaerere ut partim quidem jam ex hoc ipso earum cognatio aperta sit, partim vero, eandem ob causam, singulae, finibus relaxatis, una cum altera misceri videatur, idque eo magis quo propiores sint genere; persuasum est etiam nobis, omnium accuratiorem naturae cognitionem ex eo solo loco esse petendam, ubi totus is processus morbosus, systematis organicis faventibus, evidentissimus est. hunc vero locum ut inveniamus non necesse est diu circumvagari; manifestissime enim patet, ubi organa nervosa inflammatione vegetativa afficiuntur, et eo clarius quidem, quo altius sit organon nervosum. quod ita fieri debere praesto sunt argumenta probantia. Cum enim certiores facti simus ipsum systema vegetativum non esse constituens, eo jam convicti sumus nullam posse dari inflammationem vegetativam, nisi ope et actione systematum constituentium. inter haec vero nervosum systema non modo altiorem tenet locum ad sanitatem et aegritudinem efficiendam, sed etiam, ut lucis propinquum, in actione sua maxime est perspicuum. hinc facile intelligi potest inflammationem vegetativam maxime expressam imaginem prae se laturam esse, ubi ex ipso cerebro proficiscitur, ibique sedem suam figit primariam. *Inflammationem autem vegetativam cerebri* nihil aliud esse, nisi magnus ille, aenigmaticus

ticus et proteiformis morbus, qui nunc *typhus contagiosus*, interdum *typhus castrensis* vel *pestis belli* dicitur, systemate naturali evincitur. hanc sententiam hic argumentis suis firmis circumdare atque tueri spatii et temporis angustiae vetant; ne vero temere eam pronunciasse videar, pauca afferam, quibus ut verisimilis saltem ingenuis veritatis scrutatoribus commendari possit.

Notissimum est multos medicos, duce *Marco*[29]) typhum contagiosum pro *Encephalitide* habere; plurimi alii contra, *ab Hildenbrandt* et *Reussio* praeeuntibus[30]), *morbum* eum dicunt *exanthematicum*; tertium denique medicorum genus non dubitat, quin *febribus*, et quidem *nervosis* adnumerandus sit. Omnes hae partes sententias suas,

---

29) In systemate suo: *Entwurf einer speciellen Therapie* Vol. I. §§. 730 — 43. et Vol. II. §§. 1639 — 44. Vir ille Celeberrimus adhuc in fluctuatione quadam versatur de typhi contagiosi cum Encephalitide convenientia; in *Ephemeridibus* vero suis hanc convenientiam decrevit et declaravit. Ceterum nunquam huic de re medica optime merito Scriptori contigit, febrium notionem accurate ab inflammationis notione separare atque distinguere.

30) *Joh. Val. v. Hildenbrandt über den ansteckenden Typhus etc. 2te Aufl.* Wien 1815. *Joh. Jod. Reufs, Wesen der Exantheme etc. 1ter Theil: das Fleckenfieber oder die Kriegespest, Aschaffenburg* 1814. ej. *Selbstständige exanthematische Form u. Identität des ansteckenden Fleckenfiebers u. der oriental. Pest etc. Nürnberg* 1815.

quam maxime divergentes, observationibus multifariis ab iis factis superstruunt; et sane nulla earum omni veritate caret, quamquam nulla vera dici potest. Ut vero concordiam in hac discordia inveniamus, necesse erit usitatissimis vocabulis, cum usitatissimis maxime abuti soleant, solidas notiones subjicere. qui igitur typhum contagiosum Encephalitidem esse dicunt, manifesto eum inflammasionibus adnumerant, et quidem nervosis. altera autem pars naturam ejus in systemate vegetativo invenisse profitetur. Ceteri denique omnes, qui ad febres nervosas eum pertinere opinantur, concedant oportet, se in eo indolem ejus versari credere, ut reactio vitalis intra duo systemata constituentia infirmo modo vacillet, quippe quia haec realis sit febrium definitio[31]) nervosarumque imprimis[32]). apertissima vero haec opinionum discrepantia plane solvitur, si morbi, de quo nunc loquimur naturam, omnibus ejus phaenomenis rite perspectis, in inflammatione vegetativa cerebri ponamus. tum enim facile cognosci potest, eos, qui de hac re hucusque tam acriter disputaverunt, veri partem pro veritate ipsa sumpsisse, quo factum est, ut veritas, quasi distracta et, ut ita dicam, discerpta, nulli omnis

---

31) *Grundlinien etc.* §. 34.

32) ib. §. §. 38. 39.

sit concessa. Recte quidem viderunt, qui inflammationis cerebri speciem in typho contagioso observarunt eique propriam esse contenderunt, cum vero ipsum morbum Encephalitidem appellarent, male judicaverunt. tres enim inflammationis cerebri species accurate sunt distinguendae, quarum prima ad cerebrum ut summum systematis nervosi organon pertinet, hanc *nervosam cerebri inflammationem dicimus*, vel *Encephalitidem*[33]). altera cerebrum afficit ut nervosum organon sanguine abundans, cum sexta, ut physiologi docent, totius sanguinis copiae pars ad cerebrum fluat; hanc *irritabilem cerebri inflammationem*, sive *Phrenitidem* vocamus. tertia denique cerebrum affici potest non modo quoad etiam in eo processus vegetativus viget, sed etiam quoad summus hujus processus, ut omnium aliarum functionum organismi, legislator et rector est; quam *vegetativae inflammationis cerebri* nomine insignire haud dubitamus. cum hac vero typhus, qui contagiosus dicitur, non modo congruit, sed re idem est. Quam incuriose ii egerint, qui typhum contagiosum encephalitidem dixerunt, nunc sane apertum est, nudumque hoc latus adversarii nec observare, nec magna cum vi et majori cum clamore in id impetum facere neglexerunt; nihilominus tamen illi recte et utiliter affectionem in-

---

33) *Grundlinien etc.* §. 94—105.

flammatoriam cerebri in typho, ut naturam hujus morbi indicantem, eruerunt. — Qui contra typhum contagiosum exanthematicum esse morbum contenderunt, non minus a vero aberraverunt; nam etsi negari non potest et eorum sententiam observationibus veris inniti, cum sane interdum, immo saepe exanthema quoddam in typhi decursu observari possit, non totius tamen morbi non modo natura, sed ne forma quidem eo indicatur. Ingenue itaque profiteor: *ab Hildenbrandt*, qui hac sententia tantam sibi et famam et gloriam comparavit, veram hujus morbi cognitionem, ut mea quidem fert opinio, nullo modo promovisse, quippe quia in *uno* eo peculiari, et qnidem *non constanti* symptomate inhaerescit. qui vero nostram in sententiam ire vult, et hujus symptomatis significationem atque intimum ejus cum ceteris ejusdem morbi phaenomenis nexum perspicere posest. Si nimirum summum systematis nervosi organon, cerebrum, in quo processus vegetativus inferiorem solummodo tenet locum, inflammatione tamen afficitur vegetativa, tum certe in proxima cum eo ponitur sympathia id organon systematis vegetativi, quod maxima gaudet sensibilitate; id vero sine omni dubio *Cutis* est, quae quinta saltem sua parte ex nervis constat[34]). facillime igitur intelligi pot-

34) *Rudolphi* in *Reil Archiv für die Physiologie. Vol.* 3. *p.* 190.

est, quomodo saepissime in typho contagioso exanthema quoddam nasci possit. *Posse* dico, non autem *debere* nasci, cum sane haec sympathia, certis sub conditionibus ab aliis superari queat. — Nec hi denique, qui typhum contagiosum ad nervosas febres pertinere docuerunt, omnino a vero aberraverunt. in eo enim cum iis consentiendum est, febrem, huic morbo ut symptoma essentiale conjunctam, *nervosae* prae se ferre speciem. quod equidem non solum dabo, sed etiam probabo. siquidem omnium febrium natura in eo versatur, ut reactio vitalis non satis constans sit et energica, sed in fluctuatione potius quadam inter duo systemata constituentia, quorum alterutrum quidem agit, sed neque sufficienter, neque cum altero harmonico modo, si porro ea est peculiaris nervosae febris indoles, ut reactio vitalis magis magisque ex systemate irritabili in nervosum revertatur[35]); tum sane luce clarius est, febrem typho contagioso propriam, quoad *visum, nervosae* esse quam simillimam. cum enim in toto systemate vegetativo systemata ille constituentia et efficientia latere videantur, in ea vero, de qua nunc loquimur inflammatione vegetativa, ipsum cerebrum affectum sit, reactio vitalis, quoad nimirum motibus febrilibus manifestatur, ex systemate nervoso proficisci videatur necesse est.

---

35) *Grundlinien etc.* §. 38.

En, ut mihi quidem videtur, veram trium illarum de typhi contagiosi natura sententiarum pugnantium reconciliationem. qua et nostra de gravissima hac re doctrina, quam mihi hic in transitu solummodo tangere licet, non mediocrem verisimilitudinis gradum sibi parare spero.

Typhum autem contagiosum, vel ut nos hunc morbum, secundum suam naturam, appellamus, *inflammationem vegetativam cerebri*, ad calamitosam *pestis* familiam pertinere, cuilibet medico paulo penitius rem indaganti apertum est; qua in re etiam, veritate allecti, optimi medicorum recentioris temporis scriptores consentire videntur. et profecto qui pestis diversarumque ejus invasionum historiam[36]) cum ipsa typhi contagiosi historia naturali comparare vult, mox inveniet, nullum aliud inter hos morbos esse discrimem, nisi gradu; ceterum easdem agnoscunt causas, eosdem habent eventus, eademque phaenomena; si modo curas, ne gradus differentia

---

36) *Thucydidis* Lib. II. Cap. 48—52. (in editione Baueriana p. 326—335.) *Procopius* in *Joh. Freind.* historia medicinae (in Opp. omn. Parisiis 1735. p. 173. sqq.) *Sprengel Geschichte der Arzneikunde.* (Vol. II. p. 260. sqq.) *B. Diemerbroeck* Tractatus de peste (in ej. Opp. omn. Ultraject. 1655.) *Sprengel Gesch. der Arzneik.* (Vol. III. p. 125. sqq.)

tibi rei esse videatur. quae autem modo de typhi contagiosi cum peste convenientia atque aequalitate diximus, ea etiam omni modo de eo valent morbo, qui *flava* dicitur *febris*, vel melius: *typhus icteroides*. ejusdem nimirum et is morbus est naturae atque indolis, ex eademque causa enascitur; in eo vero solo differt, quod hic non cutis, ut in typho contagioso, nec glandulae superficiales, ut in peste, sed magnum illud assimilationis organon, quod centrum et cor vitae vegetativae dici potest, *hepar* puta totumque systema cholopoeticum, in sympathiam vocatur. quo etiam ea, quae supra de proximae sympathiae exsuperantia disputavimus, firmantur. Ne vero haec tibi magis excogitata quam vera et experientiae medicae congrua videantur, exemplum tibi affero ex ipsa empiria deductum. Omnes fere medici recentiores, qui belli tempore medicinam fecerunt in nosocomiis, imprimis vero castrensibus, typhum se observasse affirmant triplicem prae se ferentem speciem, mox enim, quod saepius fit, exanthemate maculoso conjunctum, mox autem cum inflammatione, intumescentia et pessima suppuratione inguinalium aliarumque glandularum consociatum, interdum denique cum ictero, et subito quidem orto, ut dicunt, complicatum. quae omnia et mihi pluries et diligenter observare contigit. En gravissimum habes empiria vera suppeditatum argumentum, rationibus

amice et juxta consistens. qui vero in eo summam animi et scientiae magnitudinem fortitudinemque ponunt, ut rationibus aeque ac observationibus resistant, his relinquo, ut, utrisque neglectis, negotia agant sua.

Sed revertamur unde deflexa est oratio nostra. Ut perspicua singularum inflammationum vegetativarum nobis nascatur imago, earum summam, typhum nimirum contagiosum, investigavimus, et quidem non modo quoad indolem ejus et naturam, sed etiam quoad necessitudinem et cognationem cum aliis ejusdem ordinis morbis. Quae hac inquisitione ad propositum nostrum proxime pertinentia invenimus haec sunt:

1) Typhi contagiosi natura in inflammatione vegetativa cerebri versatur.

2) Proximum hujus morbi commercium pathologicum, sive proxima ejus sympathia cum organo est *cutaneo*, quam etiam ob causam *saepissime* cum *exanthemate* conjunctus est; sed et alia organa vegetativa in sympathiam vocare potest, unde interdum *icteroides* est, interdum etiam *carbunculi*, *bubones* e. s. in eo nascuntur.

3) Ratione igitur et visis eo adducimur, ut typhum contagiosum non modo natura sua pesti esse similem, sed tota re cum ea convenire affirmemus.

Quae cum ita sint, *duorum antiquissimorum morborum* natura, Pestis inquam et Leprae, sive,

ut accuratius dicam, inflammationis vegetativae cerebri et cutaneae nobis patet, et ita quidem, ut de earum necessitudine atque intima conjunctione nulla nobis supersit dubitatio. Cui tamen dubium adhuc, vel etiam dubitatiuncula quaedam restat, eum rogatum esse volo, ut ea, quae nos hic disputavimus de horum morborum natura, indole atque cognatione cum *Thucydidis* accuratissima atque elegantissima de peste in bello peloponnesiaco descriptione conferat atque componat [37].

His inventis nil restat, nisi ut de variolarum cum utroque morbo nexu naturali inquiramus, quo demum eorum omnium similitudines atque dissimilitudines patefient. quod quidem paucis absolvere possumus. Elephantiasin enim et Lepram variolarum, quoad formam, protypa esse, supra jam demonstravimus; cum vero non liceat in systemate naturali solae exernae similitudini confidere, et horum morborum dissimilitudines in forma et eorum omnium peculiarem naturam invenire studuerimus; utramque vero investigationem, ut vult methodus naturalis, peregerimus conjuncte; jam nobis patet, peculiarem Leprae et Elephantiasis naturam in eo versari, ut uterque hic

---

37) l. c.

morbus proxime ab eo proficiscatur sytsemate nervoso, cui nulla alia est functio, nisi ut processum sustineat vegetativum, a gangliorum nimirum systemate; quo affecto fieri nequit, nisi levissima sit aut mox sublata affectio, quin et illud nervosum systema, quod inter opposita, cerebrale nimirum et gangliosum, interpositum est, ut arctum utriusque, et supremae et infimae totius systematis nervosi partis, nexum efficiat, medulla inquam spinalis (cui etiam oblongatam adnummeramus medullam) sympathice corripiatur. Cerebrum itaque in extremo solummodo fine processus hujus morbosi affici potest. ad hanc sententiam confirmandam nil opus est, nisi cum ea, praeceptorum physiologicorum memores, historiam naturalem horum morborum accurate comparemus; testis hujus rei prae ceteris provoco phaenomena Leprae asturiensis, quae quasi veritatis mercede conducta, evidentissime luculentissimeque eam demonstrant.

Pestis contra, ut primum invadit, cerebrum ipsum afficit et in summo hoc totius systematis nervosi organo sedem suam figit primariam; ex quo, nisi prius necat, quod saepissime fit, interdum etiam in ipso invasionis actu, in spinalem irruit medullam; quo facto respirationis, mediantibus nervis vagis, oriuntur difficultates; deinde cutis, quae solis fruitur nervis ex medulla spinali,

afficitur—: *exanthema quoddam nascitur;* denique, si neque morbus aegrotum, neque aegrotus morbum suppressit, systema gangliosum, quod etiam nervoso-plasticum sive vegetativum dici fas est, corrumpitur, quod et symptomatibus putredinis tum supervenientibus es affectionibus organorum glandulosorum indicatur. Ad ultimam hanc symptomatum seriem et *decubitum,* in typho contagioso non raro accidentem et mechanicam ejus ortus explicationem sane respuentem, referri posse non adeo a vero mihi abhorrere videtur.— Accurate et exquisite uterque hic morbus Lepra et Elephantiasis nimirum ab una et pestis ab altera parte, in *evolutione* sua sibi est oppositus, salva tamen necessitudine naturae et indolis generalioris.

Medium inter duos hos morbos *Variolae* tenent locum; utriusque enim prae se ferunt speciem, utriusque etiam habent naturam. Quamobrem spero nemini alienum aut etiam temerarium videri posse, si contendimus veram et peculiarem nos Variolarum naturam invenisse, eamque quidem in eo versari, ut conjunctio sit, sive synthesis utriusque morbi saepius jam laudati. Hanc etiam sententiam, quae summam hujus nostrae investigationis continet, summopere me fovere nequaquam diffiteor. cum ea etiam omnia variolarum phaenomena, si conjuncte et sigillatim

componantur, optime conveniunt; id quod auditoribus meis, si de hac re cum iis mihi est agendum, demonstrare soleo, id etiam in tertio systematis mei volumine, uberius et dilucide expositurus sum. Hic vero, ubi non tirones habeo edocendos, nec ad pleniorem demonstrationem mihi datus est locus, pauca sufficiet ut afferam argumenta ad sententiam meam tuendam atque stabiliendam, dummodo nec levia sint, nec artificiosa, sed ex ipsa re et historia desumpta:

1) Symptomatum *morbi variolosi ingredientis* duae sunt *series*, quarum altera manifesto affectionem systematis cerebralis, altera vero vegetationis turbationem indicat. ad illam seriem haec inprimis pertinent symptomata: *inquietudo, apud infantes: pavor sub somnum, naturalem superantem: apud adultos vero vigiliae; faciei rubedo cum pallore alternans; gravedo; dolor capitis, praecipue occipitis; vertigo. Crescente versus noctem calore inquietudo, anxietas, apud infantes sopor, pavores augentur; stridor dentium, convulsiones non raro accedunt; apud utrosque saepissime in ipso hoc invasionis stadio deliria mussitantia obseruantur.* — Ad alteram vero symptomatum seriem haec referri debent: *Summum ciborum fastidium; ingratus ad ventriculum, attactu dolentem, sensus; nausea, vomituritio, vomitus; alvus quamplurimis ob-*

structa, aliis serosa, pessime olens, frequenter, ac interdum cum tormine deponitur; urina paulo post emissionem turbida, albescens, subflava; peculiaris sudoris animaeque foetor. — Quis non videt jam *incipientem* hunc morbum duplicem manifestare impetum in oppositas systematis nervosi partes, in cerebralem nimirum et gangliosam? et eundem, quem ingrediens declarat morbus characterem, eundem etiam et *factus* et *egrediens* servat.

2) Lepram et Elephatiasin cum variolis, quoad formam, multas habere similitudines supra demonstravimus; sed eas in eodem respectu etiam dissimiles esse, et evidentissime quidem, nequaquam negabo; ipsa vero haec differentia nobis ad sententiam nostram stabiliendam inservit potius, quam ipsae illae similitudines, quippe quia hujus differentiae causa nostra doctrina de variolarum natura facile intelligi potest. Siquidem ea est hujus morbi vera indoles, ut intima sit pestis conjunctio cum Lepra vel Elephantiasi, et cutis affectionem exinde valde variari necesse est. Hoc scilicet connubio efficacissimo fieri non potest, ut tarde et lente malum subreptet cutaneum, ut interna viscera fodeat, vitamque ipsam opprimat fere, antequam in conspectum veniat; sed quae in viscerum tenebris infauste machinantur, caput violenter ad lucem protrudit; in hoc enim morbo,

ubi suprema et infima systematis neruosi pars semel simulque affecta est, et totus processus morbosus a nobiliori, virtute scilicet sua actuosiori atque efficaciori, regatur necesse est; ex hoc vero patet, exanthema variolosum non, ut leprosum aut elephantinum, lente et magna mole posse incedere, sed, vividiori processui morboso respondens, *cito*, *vehementer* et in forma sua *distincte expressum* esse debere. patet etiam ex eo, systema cerebrale perfecte sibi posse evincere principatum in toto processu morboso; tum etiam omnis exanthematis formatio atque protrusio opprimitur. Quod si evenit apud medicos *febris variolosa sine variolis* audit.

Sufficiat duo haec argumenra ex ipsa rerum natura hausta hic attulisse; addam praeterea duo altera historia suppeditata.

1) Ex primo indubitatoque variolarum invasionis in terras occidentales documento, certum habemus anno 569 eas „Italiam Galliamque valde afflixisse[38])," et pestim quidem eas induxisse at-

---

38) Marii Aventicensis episcopi Chronicon (in: historiae Francorum scriptores. Tom. I. Lutet. Paris. 1646. p. 215.) „hoc anno (anno IV. Cons. Justini Jun. Aug. Ind. III.) morbus validus, cum profluvio ventris, et *variola*, Italiam Galliamque valde afflixit, et animalia bubula per loca suprascripta maxime interierunt."

que importasse[39]). Lepram vero et Elephantiasin tunc temporis in his regionibus vulgatissimos fuisse morbos neminem fugit, nisi historiae rei medicae prorsus ignarum. Videas igitur variolarum formationem ex pestis cum illis morbis confluxu ipsa historia firmari. Mihi quidem et id exanthema in peste, quam Thucydides (l. c.) nobis clare descripsit, obseruatum, variolis simillimum, earum saltem pıoximum analogon esse videtur.

2) Et nunc eriam historice edocemur, variolas ubique pullulare, ubi typhus contagiosus epidemice grassatur et cum diathesi quadam psorica convenit. Quamobrem variolae omni tempore, et nnnc quidem, cum neutiquam vulgaribus possint adnumerari morbis, in nosocomiis castrensibus, belli tempore, observatae sunt.

Finem nunc imponam huic nostrae investigationi, si antea paucis verbis ea, de quibus nos in hac re certiores facti sumus, exposuero:

1) Pestis, Elephantiasis et Lepra, Variolae denique in eo conveniunt, quod omnes hi morbi

---

39) *Sprengel Geschichte der Arzneik.* (Vol. II. p. 264. sqq.) ej. *Beiträge zur Geschichte der Medicin.* (Vol. I. p. 7. sqq.)

ad eundem ordinem inflammationum vegetativarum pertinent; differunt vero *genere*, et ita quidem, ut altera sit inflammatio vegetativa in organis nervosis, et principio quidem ipsius cerebri; alterae vero varietates inflammationis vegetativae in organis vegetativis, variolae denique utriusque sint intima conjunctio.

2) Hujus conjunctionis autem historia haec mihi esse videtur: donec enim pestis ab una et Elephantiasis et Lepra ab altera parte pari modo viguerunt, raro, fortasse etiam nunquam convenerunt; simulac vero causa data erat, ut pestis incresceret, etiam hujus aut ipsa conjunctio, aut ejus saltem initia erant posita. Id etiam in bello peloponnesiaco mihi accidisse videtur. Cum vero postea, temporum omniumque rerum mutatione, uterque morbus maximam vigoris sui partem, in regionibus saltem occidentalibus, amisisset, utriusque tamen remanebat diathesis, Quo vero debiliores erant hae diatheses, per tempora maxime nulla calamitate petita, eo magis eorum fines erant laxi, eoque propius sibi accedebant. Mox vero ubi occasio accidit, ut pestis fomes accenderetur, etiam alterius morbi semina pullulabant, i. e. *nascebantur variolae*. Variolae vero, ut tertium aliquod ex intima duorum illorum elementorum mixtione definitum, semel factae[40]), utramque quidem naturam servantes

---

40) Hanc conjunctionem etiam dissolvi posse, ipsa historia testatur; anno enim sequente post variolarum

tes sed latentes, ut singularem morbum, quoad visum, sese et ostenderunt et propagaverunt.

5) Quod autem quaestionem de variolarum antiquitate attinet, bipartita ea nobis esse videtur, quarum una ad ipsam rem, altera vero ad vetustorum medicorum cognitionem pertinet. Quum vero credamus nos demonstrasse, variolarum origines antiquissimas esse, earum etiam conventus atque conjunctionis rationem indicaverimus, primam etiam hujus quaestionis partem eo absolutam esse nobis sperare licet. Alteram autem quaestionem, utrum variolae medicis Graecis et Latinis cognitae fuerint nec ne? neque affirmare neque negare audeo. exopto tamen, ut denuo huic quaestioni medici operam dent, velim imprimis ut *J. F. C. Heckero*, Viro in rebus philologicis et historicis aeque ac in re medica solide atque insigniter docto placeat, quaestionem hanc ad liquidum perducere. Unum autem id reticere non possum: mihi nec Scriptores, qui in hac quaestione negantium agunt partes,

---

primam, ut videtur, invasionem in terras occidentales, pestis iterum, *quamquam variolis temperata*, in ipsis his regionibus grassata est, teste Mario episcopo, dicente: „hoc anno (anno V. Cons. Justini Jun. Aug. Ind. IV. [h. e. 570.]) infanda infirmitas, atque *glandula*, cujus nomen est *pustula*, in suprascriptis regionibus innumerabilem populum devastavit."

Mercurialem[41]), *Werlhofium*[42]), *Grunerum*[43]) — ut partium principes solummodo nominem —, neque hos, qui in altera sunt parte, *Hahnium*[44]), *Trillerum*[45]) a. rem prorsus accurate tractasse videri. utraque enim pars magis opinionem ad investigationem attulisse, quam ex ea hausisse videtur. Imprimis vero credo ea plane neglecta esse, quae *Zacutus Lusitanus* acute et docte de hac re disputavit[46]). tum miror, neminem adhuc, quantum scio, in *Thucydidis* descriptione de morbo in bello peloponnesiaco variolarum vestigia invenisse, quod mihi saltem quam maxime est verisimile. deinde nullus veterum scriptorum, qui de variolis egerit, de iis ut de *novo* quodam

---

41) In Comm. histor. Hippocratis, et Lib. I. de pueror. morb. Cap. 2.

42) l. c.

43) Variolarum antiquitates ab Arabibus solis repetendae (in: Delectus dissertationum medicarum Jenensium, collegit *Christ. Godofr. Gruner.* Vol. II. p. 132. sqq.)

44) Variolarum antiquitates, nunc primum e Graecis erutae, Brigae 1733. et: carbo pestilens a carbunculis sive Variolis Veterum distinctus, Vratislaviae 1736. accedunt:

45) Binae *Trilleri* epistolae de eodem argumento (quae etiam inveniuntur in ej. auctoris opusculis medicis ac medico-philologicis Francofurti et Lipsiae 1766. Vol. II. p. 1. sqq.

46) Opera Tom. I. Lugud. 1649. p. 165. sqq.

morbo loquitur, nec ipse *Marius Aventicensis episcopus*, apud quem prima variolarum nominis mentio fit[47]), neque *Rhazes*[48]) cujus primam habemus variolarum descriptionem graphicam, cum is ingenue se aliorum de hac re scriptis uti profiteatur, neque dubitet et ipso Galeno variolas fuisse cognitas. Ex quibus omnibus mihi patere videtur: ***variolas recentioribus temporibus solummodo ad novos morbos fuisse relatas.***

---

47) l. c.

48) *Alexandri Tralliani* de arte medica Libri XII. una cum *Rhazei* libro et fragmentis variis de Variolis et Morbillis, recudi fecit etc. *Alb.* (*de Haller* Lausannae 1772.) Vol. II. p. 213. sqq.).

Errata typographica graviora:

Pag. 1 vers. 2 ab inf, lege laudabunt pro: laudabant.
- 2 - 5 - - malignioresque pro: malin[illegible] resque.
- — - 3 - - observarit pro: abservarit.
- 5 - 11 lege: vero pro: viro.
- 7 - 1 - in . io.
- — - — - partem pro: parten.
- — - — - deficiente pro: defictente.
- 8 - 3 ab inf. lege: habebunt. pro: habebunt
- 14 - 11 lege perspicue pro; perpicue.
- — - 19 - Willanii pro; Willianii.
- — - 4 ab inf. lege; originem pro: orginem.
- 15 - 8 lege: exstincti pro: extincti
- — - 6 ab inf. lege: denotetur. pro: denotetur
- — - 4 - - - - Tetrabibl. - Terabibl.
- 28 - 9 lege: propius pro: proprius
- — - 9 ab inf. lege: vegetativis pro: vegetativi.
- 43 - 6 lege: et pro: es.
